Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26076
Copyright: Admont, Benediktinerstift



ululabit moab ad moab uniuersus ululabit. His qui letantur sup muros cocti
lateris loquimini plagas suas quam suburbana esebon deserta s. et uinea
sabama; lxx. Audiuimus iniuriam moab. cum melioſus est ualde. Superbia
eius et iniuria eius et furor: non sicut diuinatio tua. non sic ululabit moab. Si
quidem in moab omnes ululabunt. habitantibus de seth meditaberis et non con
funderis campi esebon lugebunt uinea sabama. Quantis obscurita
tibus locus iste iuxta lxx interpretes inuolutus sit. ex eo perspicuum est. quod
legi uix potest. Dicamus ergo iuxta hebraicum. Moris est scripturarum ut postquam
desperationem mentis humane leto nuncio subleuauerint. rursum negle
gentes et nolentes agere penitentiam comminatione deterreant. ne boni
tas dei induret cor nostrum. Cuius rei unum tantum ponam exemplum. In cxliiii.
psalmo legimus. Suauis dominus uniuersis. et miserationes eius super omnia opera eius.
Et post paululum. Sustentat dominus omnes qui corruunt. et erigit omnes elisos.
Oculi omnium in te sperant. et tu das escam eorum in tempore suo. Cumque premi
sisset. custodit dominus omnes diligentes se. ne neglegentem faceret adiutorem.
intulit. et omnes peccatores disperdet. Quia ergo consummato antichristo et pa
rente eius diabolo qui conculcabat uniuersam terram. preparandum esse ut
uaticinatum est solium in misericordia. et eum qui sessurus sit in tabernacu
lo dauid. Ex persona sanctorum qui de moab saluati sunt et experimento suo eius
discere superbiam. propheta loquitur. audiuimus superbiam moab. siue iniu
riam. ut lxx transtulerunt. Quis enim hereticorum non superbus est. qui ecclesiasticam
despiciens simplicitatem. ita habet ecclesie homines quasi bruta
animalia. et in tantum superbie iniurieque tumorem erigitur. ut contra ip
sum creatorem armet os suum. detrahens prophetis eius quasi auctoritate
testimonii euangelici. in quo saluator ait. omnes qui uenerunt ante me.
fures fuerunt et latrones. ut moysen quoque famulum dei appellat ho
micidam. et iesu filium naue detrahat quasi homine sanguinario